

DISPVVTATIO IVRIDICA
DE
SVCCESIONIBVS
AB INTESTATO.

Quam,
CVM BONO DEO,

Sub præsidio D. IACOBI GOTHOFREDI IC.
& in Academia Genevensi Professoris,

Tuebitur

H. VIGNIERIVS Bliesenensis:

*Ad diem XXI. Decembris, horâ octauâ in
Auditorio Iuridico.*



GENEVÆ,
Apud Iohannem Plancxum.

M. DC. XXI.



DISPV TATIO IVRIDICA DE SVCCES SIONIBVS AB INTESTATO.

SVCCES SIONVM ab Intestato tractatus frequens, & quotidianus, & peculiarem & exactam meretur disquisitionem: ac maxime, propter varias Iuris hac parte immutaciones: tum etiam quia non omnes casus iure nostro definiti sunt aut liquido pertractati.

THE SIS I.

INTESTATI diuisio Theophili nobis placet: alium videlicet Intestatum dici de facto; alium de jure: Intestatus de facto est, qui testamentum non fecit, qui testamentum aut noluit facere, aut non potuit.

II.

Intestatus jure est qui non rite testamentum condidit, cuius testamentum ex postfacto irritatum est: denique ex quo nemo haeres extitit.

III.

Intestatus igitur is quoque dicitur qui testamenti factionem non habuit: rursus qui habuit & testatus est, sed quem aliis & exitus intestatum fecit.

IV.

Iam igitur Successionem ab intestato ita plenè definiamus, *Esse Successionem sine legitimam acquisitionem hereditatis, justa voluntatis defuncti ultimâ deficiente sententiâ.*

V.

Legitimam acquisitionem diximus; hinc Successionis legitima appellatio pro Successione ab intestato: hinc *legitimi*, qui ex jure & lege tantum succedunt: nempe quia Successio hæc proximè per legem defertur. Cùm testamentariæ successionis lex remotior causa sit & mediata.

VI.

Duas igitur tantum species Successionis constituimus, testamentariam, quæ primum locum obtinet; legitimam illâ deficiente: tertiam speciem non admittimus, quam Accursius male eruebat ex *l. cum antiquioribus 19. C. de jure deliberandi.*

VII.

Pacta quoque mutua Successionis non admittimus; at probamus